

MATTHIÆ STRUBYCZII  
LIVONIENSIS

Brevis atque Accurata

LIVONIÆ DUCATUS  
DESCRIPITIO

HISTORICO-GEOGRAPHICA

*Ad Ecclesiasticam & Profanam*

In primis Ordinum Johannitarum, Teuto-  
nicorum & Templariorum faciens  
Historiam

*è MSto suo vetustissimo eruta ac  
in lucem protracta*

À

M. JUSTO LAURENTIO DIEZIO. U. F.



AMSTELÆDAMI.

*Impensis Auctoris*

Apud ABRAHAM STRANDER, Biblio-  
polam. Anno 1727.

*AM B. 69, 58.*

V I R O

EXCELLENTISSIMO ATQUE

NOBILISSIMO

DOMINO

JOHANNI MICHAËLI  
LANGGUTHIO

SAXO-DUCALI CONSILIA-

RIO ADFINI SUO DE-

SIDERATISSIMO

SALUTEM!



*O*ffero, *Vir Excellentissime,*

pagellas has, licet per

exiguas, attamen ut spero gra-

tas. Debentur *Tibi*, quod varia  
contineant historica, feudalia at-  
que canonica juris, quibus, ut  
erudito constat orbi, *Tu* maxime  
delectaris. Desiderarunt quidem  
*Tua* in me merita jam dudum  
majora, quorum neglectum ta-  
men non mihi, sed temporum  
tribues injuriæ, utpote omnem  
quæ sustulerat huc usque occasio-  
nem, expectans à me reliqua. In-  
terea benignis hæc suscipe mani-  
bus, oculisque faventibus intuê-

re:

re: Sunt enim *Tibi* dicata atque  
consecrata ex animo puro, pio  
atque religioso. Reliquum quod  
est, nihil amplius habeo in vo-  
tis, quam quod vinculum nostræ  
necessitudinis Adfinitatisque indies  
magis magisque arctius constrin-  
gatur, ut habeamus semper quo  
gaudere valeamus; *Tu* vero cum  
*Sorore Dilectissima Liberisque Ca-*  
*rissimis* sis felix, sis florens, sis  
beatus: quibus in suspiriis me *Ti-*  
*bi* etiam atque etiam commen-  
do

dores & alia, quibus ad splendorem, necessitatem & luxum uterentur; verum etiam rerum à se, atque ab aliis gestarum libros, descriptiones, tabulas & picturas, tam suarum, quam aliarum regionum & provinciarum, & alia præterea monumenta quamplurima, quæ ab illis reponerentur ad sapientiam, memoriam atque rerum cognitionem. Nam à curis & negotiis publicis vacui, aut aliqua molestia affecti, suos commentarios, resque alias utiles inspiciebant & considerabant, cum ad animi jucunditatem in otio, tum ad levationem ægritudinis in sollicitudine, infomnio aut morbo. Non enim dubium est fateri sanos omnes, necessariam esse cognitionem temporum, præsertim Imperatoribus Regibusque, historias, & de

de ferie imperiorum, quæ fuerunt in  
genere humano præcipua, quantum sciri  
potest. Nam omnes qui historias mo-  
numentaque aut gentium, aut urbium,  
aut familiarum conservant, operam na-  
vant salutarem & Regibus & Reipublicæ.  
Pulchrum enim est animo complecti,  
quid Themistocles, quid Scipio, quid  
& alii Imperatores atque Reges, in sua  
quisque patria, egerint, quos hostes &  
quam potentes vicerit, quam grave ju-  
gum à cervicibus nobilitatis, quam feros  
enses à jugulis civium averterit? Libe-  
rat enim Athenas Themistocles, Romam  
Scipio, quorum ille totam Asiam terro-  
re perculit, hic vero fortitudinis habe-  
nas Africæ extorsit: Tantorum laborum  
in vita fructus fuit exitium, in quo vitam  
uter-

uterque amisit. In morte autem fremit  
Themistocles, indignatur Scipio, qui  
suos quoque cineres atque ossa civibus  
ingratis denegabat. Quid igitur conse-  
cuti sunt tot curis tantisque laboribus?  
Id videlicet, quod Vir Sanctus loquitur:  
*de nominibus suis, nomina indiderunt  
terris, sed relinquunt alienis divitias  
suas, homo in suo honore non perdurabit,  
similis jumentorum, quæ intereunt.* Præ-  
bent igitur istiusmodi historiæ cognitio-  
nem periculosæ virtutis, gloriæ incon-  
stantis, vitæ denique infelicis, qui casus  
à benè merendo magis avocant, quam  
incitant: nam hi viri animis potuerunt  
æquis tolerare injuriam, multi vero con-  
temptus & dedecoris impatientes, suis  
cupiditatibus, & se simul & patriam per-  
dide-

diderunt. Consideranda etiam celebranda & illustranda est sapientia, virtus, pietas & felicitas multorum Imperatorum atque Principum, quorum multi, excitati & adjuvi divinitus, gesserunt res orbi Christiano salutares domi forisque, repressis externis gentibus & orbe Christiano pacato. Aliqui enim imperium occidentis, velut de collectis ex naufragio tabulis, instaurarunt, ut *Carolus Magnus*; Aliqui à majoribus acceptum amplificarunt, ut *Henricus Auceps*, *Otto Magnus*; Aliqui dignitatem & majestatem Imperii contra efferentem sese atque summam enitentem tyrannorum rabiem, armis & auctoritate defenderunt, ut *Henricus III & IV*; Aliqui etiam ex Europa bella transtulerunt in Asiam adversus Turcos & Sarracenos,

ut *Godefridus Bilioneus* Lotharingiæ Princeps, cum aliis, qui Hierosolymam Sarracenis excussis ceperunt, atque totam fermè Asiam occupaverunt. *Godefrido* successit *Balduinus de Burgo*: hoc rege maturo & salubri consilio, *institutus est Hierosolymis Equestris ordo militiæ sacræ*, qui excubias ageret pro Christiano orbe perpetuas, & regi adesset in reprimendis extirpandisque hostibus novo regno infestis, de quibus postea *ordo Teutonicus in Livonia* originem sumsit. Cum itaque Serenissime Rex! ex providentia divina iis temporibus tota Livonia redacta est in potestatem & imperium Sacr: Reg: Majest: Vestræ *Ducatusque*, ut Sacra Regia Majestas Vestra, cognitionem atque notitiam certiolem habere posset, ego pro debito officio

meo

meo, atque pro fide & subjectione mea,  
*partem historiae aliquam, paucis, ut Chronico*  
*covenit, descripsi, quae complectitur*  
*annos circiter quingentos, ab Henrico IV usque ad Ferdinandum Imperato-*  
*rem.* Hanc itaque tenuem & exiguam  
descriptionem meam Sacrae Regiae Ma-  
jestati Vestrae submitte offero, speroque  
eam Sacrae Reg: Majest: Vestrae profu-  
turam esse: quam ut Regio Suo clemen-  
ti animo suscipiat, meque suo patrocinio  
complectatur, ea, qua par est, animi  
subjectione, peto atque obsecro. Vestram  
denique Sacram Regiam Majestatem,  
Deus Optimus Maximus ut felicissime  
suarum rerum, & omnium subditorum  
incremento indies magis magisque se-  
cundare pergat, illamque perpetuo ser-  
vet

vet incolumem , ex animo precor & opto.  
Commendo me tandem cum subjectiffi-  
ma fervitute mea clementiæ & benigni-  
tati Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ,  
Domini, & Domini mihi perpetuæ fidei  
& observantiæ meæ nexu Clementiffi-  
mi. Datae Torunii die X mensis Janua-  
rii, Anno Domini M. D. LXXVII.

**SACRÆ MAJESTATIS VESTRÆ**

*Subditus & servus obsequentissimus*

**MATTHIAS STRUBYCZ.**

## LIVONIÆ DUCATUS

## DESCRIP T IO.

## C A P. I.

*De Livonia Imperantibus.*

Temporibus HENRICI IV. Imperatoris, anno Domini millesimo nonagesimo octavo, Hierosolymam tum Sarraceni tenuerunt & possederunt. Nam paulo ante eam Turcis pulsus receperant, cum Turci eam antea Sarracenis ademptam, possedissent annos octoginta octo. Nostri vicissim Sarracenis excussis, ceperunt eam Idibus Quintilibus anni sequentis, triginta octo dierum continua oppugnatione graviter quassatam, cum penè desperatis rebus essent revocati ad novam aggressionem ostento, quod ex monte Oliveti præfulgidi clypei agitatione fecerat spem victoriæ. Ibi regni sede constituta, consentientibus sententiis regem Hierosolymorum declararunt eo tempore, GODOFRIDUM BILIONEM, Lotharingiæ Principem, virum armis pariter & consilio, industria, virtute, magnitudine animoque promptissimum & accerrimum, qui solemniter initia-

## 2 *De Livonia Imperatibus.*

tus ritu, spinea, exemplo Christi Salvatoris, non aurea corona ornari voluit.

### §. 2.

Occuparat jam ante Ciliciam, Comagenam, & Mesopotamiam, *Balduinus*, frater regis, qui *Edeffani Comitis* titulum usurpavit. Est enim *Edeffa*, Comagenæ civitas, quæ *Rages* dicta in historia *Tobiae*, hodiè *Orpha* nomine dinoscitur. Tyberiadem recens captam, beneficio regis, obtinebat *Tancredus*, nepos Roberti Guiscardi ex sorore. *Syriam* ex Antiochia administrabat *Boemundus*, hæc in sacris *Reblata* est.

### §. 3.

Cum ad hunc modum regni sedes & arx belli in Hierosolymorum urbem collocata esset, deinceps inde reliquam Palæstinam, Syriam & Phœnicum regionem debellarunt circum circa Godefridi successores. Ipse enim uno tantum anno rerum potitus, decimo quinto Calend: Augusti, anno Christi millesimo centesimo, fato functus est.

### §. 4.

*Godefrido* successit, *BALDUINUS*, frater, comes Edeffanus. Hic ad regnum evehctus cessit Edeffam *Balduino de Burgo*, consobrino, & *Antipatriden Casaream*, *Ptolemaidem*, *Tripolim* & *Berythum*, vi expugnatas, adjecit, edita ingenti strage Sarracenorum.

## §. 5.

Expugnatae etiam tunc sunt, *Apamea & Laodicea*, Syriae urbes, & *Carræ Mesopotamicae* ex Abrahamæ historia notæ, *Tancredo & Raimundo Tolosano* ducibus. Decessit autem BALDUINUS, anno Christi millesimo centesimo decimo octavo, regni, decimo octavo, postquam reversus esset Ægypto, capta insula *Pbaro*: quo tempore repeterunt patriam *Robertus* Flandriæ Comes, *Eustatius*, regis frater, & *Boemundus Apulus*.

## §. 6.

Post Balduinum, tertius regnum possedit, BALDUINUS DE BURGO. Hoc rege, maturo & salubri consilio, institutus est *Hierosolymis Equestris ordo militiae sacrae*, qui excubias ageret pro Christiano orbe perpetuas, & regi adesset in reprimentis & extirpandis hostibus novo regno infestis finibusque tutandis, & præstaret accedere terram sanctam volentibus tuta itinera, terra marique latronibus depulsis. Hic ordo, à professione, *S. Johannis nomen adeptus initio*, postea *Dominorum Rhodiorum titulo* celebratiores notiorque evasit, cum plurimas maris mediterranei insulas, bello domitas, perpetuo contra Sarracenos & Turcas præsidio munivisset, magno Europæ universæ cum commodo. Plurimum enim profuit orbi Christiano horum Equitum vigilantia & virtus, dum vixit: Diu enim represserunt hostes utrosque magno successu, adjuti vicinorum Regum & Imperatorum auxiliis, nunc deserti ab omnibus, & imperii Turrici circumfusa potentia fracti, Rhodo amissa, ægrè

#### 4 *De Livonia Imperantibus.*

fese intra Melitæ insulæ angustias tuentur & sustinent.

#### §. 7.

Cum autem affiduè magna multitudo certatim, partim religionis, partim militiæ causa, in Palæstinam convolaret, exemplo illorum aliis similiter sese conjungentibus, *novæ duæ ibidem familiae sacrorum militum conditæ sunt: Templariorum nempe & Teutonicorum.* Fervebat enim in animis hominum ardor belligerandi pro gloria Dei & Ecclesia, succensi crescentis superstitionis opinione, & victoriarum exemplis.

#### §. 8.

*Templarii cœperunt, autoribus, ut vocantur, Hugone de Paganis, & Gansfredo de S. Adelmaro.* Hi primo ad urbem Hierosolymam confederunt, destinati adducendis tuto reducendisque iis, qui navibus appulsi peregrè ad urbem commearent & remearent, urbiq; custodiendæ. Nam limites longius ab urbe tutebantur ceteri, continentibus adversus hostes bellis. Sed brevi tempore, in præcipua dispersi regna orbis Christiani, & pia largaque beneficentia hominum immensis locupletati opibus, cum sese in aulis Principum insinuassent, ita degenerarunt de sua majorumque suorum virtute, gravitate, fide pristinoque institutò, ut de tollendis illis Principes cogitare oportuerit; Et quidem initis in illorum cædem consiliis structisque insidiis, Monarchis miro silentio occultantibus, passim toto in orbe Christiano, penè uno momento, simul excisi sunt atque extirpati universi, ducentesimo ferè ex quo

quo coeperant anno. Imperante Henrico VII. supremus familiae praedictae Magister sedem suam habuit Hierosolymis.

## §. 9.

*Teutonicorum familia*, sive ordo, quos à professione & symbolo Marianos nominant, initium habuit ad Ptolemaidem, Imperante Henrico VI, Anno Christi, millesimo centesimo nonagesimo, XIII: Calend: Decembr: autoribus quibusdam civibus urbium *Bremæ & Lubecæ*, magnis sumptibus ædificato & exstructo ibi Xenodochio in usum eorum, qui familiae infererentur: Postea cum numerus crevisset, ceu colonias inde in Germaniam deduxerunt. Gubernatio familiae commendata fuerat cuidam *Henrico Walpodio*, qui primus munus, ut vocant, *Magistri* obiit. Novæ Coloniae in Germania auctæ & roboratæ, numero opibusque ditatæ, Friderici II. imperio Prussiam & aliquando ante Livoniam, domitis barbaris gentibus, imperio adjecerunt, & diu exceptis repressisque feliciter ferarum gentium irruptionibus, velut murus, has regiones protexerunt, de quibus suo loco.

## §. 10.

Consilium institutionis fuit optimum & sanctissimum, quo spectatum aliud nihil est, nisi plantatio & propagatio Ecclesiae in genere humano, & imperii ampliatio. Quid vero potest suscipi gerique pro gloria Nominis divini laudabilius, iis operibus, quibus dilatatur Ecclesia, abolentur idola, multi adducuntur ad veram Dei agnitionem, exiit barbaris feritas & praestatur defensio? Consilio etiam

6 *De Livonia Imperantibus.*

respondit eventus initio, cum ex vero Zelo perfectos acres & ardentes animorum impetus, homines pii ad rem tantum adferrent, & conatus regeret atque adjuvaret Deus. Sed ut nihil est in rebus humanis perpetuum, aut durable; ita, cum pericula superata essent, paulatim consuetudine ex opum & ocii abundantia, deciderunt hæ familiæ & ordo Equestris militiæ sacre, à pietate integritate, virtute & fortitudine, in Epicuream securitatem, luxum, molliem & ignaviam, & nimio studio suarum voluptatum, prorsus abjecerunt curam Ecclesiæ, religionis & disciplinæ, quam, ut rudis & imperita multitudo rectè institueretur, & asuefieret ad cultum humaniorem, abducta ab Idolis & beluina feritate, præcipuè præstare debebant.

## §. II.

Secutæ sunt ergo pœnæ, quas cernimus. Livonia enim, quæ per annos ferè quingentos, virtutis Germanicæ præmium, victoriarum tam de barbaris Moschis, quam & aliis partarum tropheum, imperii adversus eosdem præsidium fuit (Cum imperia & gubernacula divinitus constitui & transferri certum sit, sicut Daniel inquit, *Deus transfert regna & stabilit*) propter talia & tanta commissa delicta ac scelera Ordinum prædictorum, posteaquam avulsi ab imperio essent, & ex mera superbia & invidia bella movissent inter sese, & contra Principes vicinos non necessaria, post varia habita bella, cum interitu fermè omnium illorum Ordinum, redacta est Livonia in potestatem quam plurimorum adjacentium Regum atque Principum, de quibus plura suo loco: Prussia vero, aliquando antè, simili & eodem modo periit. Sic acquisita virtute  
mul-

multoque majorum suorum sanguine, flagitiosa ignavia perduntur.

§. 12.

Cum Ordo prædictus, jam fermè majorem Livoniæ partem suis temporibus occupasset, atque à barbaris hominibus in suam redegisset potestatem, domitis iis gentibus ibidem possessis, *anno Christi millesimo centesimo nonagesimo tertio, Livonia cœpit cognoscere & amplecti fidem Christianam ex prædicatione Menardi Monachi Segeburgii, PRIMI EPISCOPI LIVONIAE.* Condidit hic primum Ecclesiam, extructa munitione & arce contra barbaros in medio fluvii Rubonis, quem Dunam hodiè vocant, *Ecclesiam vero & arcem Kyrholm posthæc: alias duas arces quoque extruxit in ripa Duneti, nempe Dalen & Vækul, ex consensu Woldemari regis Poloscoviensis, cui tunc Livonienses tributarii erant.* Deinde quod gentem feram & barbaram cerneret citius promptius accessuram ad religionem catholicam, si armis domita, & legibus ac disciplina mansuefacta doceri exerceique posset, *autor fuit in Germania & hortator novi Ordinis sacrorum militum, qui recens ad Ptolomaiden cœperat, qui se ducem sequeretur in Livoniam, ascito in societatem laborum ac periculorum, alio quodam, Theodoro.* Hi duo partem alteram Livonia, quam *Æstoniam* vocant, subegerunt: successores exemplum imitati, comparata majore manu sacrorum militum, totam perdomuerunt. Post obitum vero MENARDI, qui annos tantum rerum potitus tres, sequutus est BARTOLDUS, EPISCOPUS LIVONIAE, qui secundo anno gubernationis suæ, à barbaris gentibus districtus Livenis, penes fluvium Duna, interfec-

8 *De Livonia Imperantibus.*

tus est, anno Christi millesimo centesimo nonagesimo octavo. Huic successit ALBERTUS I, Collegii Bremensis Sacerdos, qui *urbis Rigensis fundamenta jecit* eamque condidit & extruxit, anno Christi millesimo centesimo nonagesimo nono, & colonias etiam ex vicinia Bremæ eò deduxit: cumque Ecclesias in certos Episcopatus esset partitus, sibi ARCHI-EPISCOPI potestatem obtinuit, & Equitibus militiæ sacrae, qui se postea *Equestris Ordo Teutonicus, familiae Hospitalis Beatae Mariae Virginis in Hierusalem* nominabant, eoque titulo ad interitum usque eorum usurpabant, tertiam partem terræ concessit & dedit in præmium militiæ, qua non contenti, paulatim ita accesserunt ad potestatem & potentiam Archi-Episcopi, ut ad extremum longe illo superiores evaserint. Rebus sic gestis, Ordines militiæ sacrae, elegerunt & constituerunt inter sese, qui gubernaret & defenderet illos, *Magistrum Ordinis Teutonici in Livonia*; qui immensis locupletatus opibus, cum Ordinibus & Equitibus militiæ sacrae, principalem & majorem Livoniæ partem subegit obtinuitque: quo facto majores & superiores Archi-Episcopo evaserunt. Hoc modo postea *Livoniæ Principes & Gubernatores constituti & cooptati sunt*, consentientibus sententiis omnium Ordinum militiæ sacrae: Primum Archiepiscopus Rigensis, & Magister Ordinis Teutonici in Livonia &c.

## §. 13.

Verum decessit ALBERTUS EPISCOPUS *Rigensis*, cum fideliter gubernasset Ecclesiam Dei, docendo & prædicando verbum ejus rudis barbarisque hominibus, per annos tres.

## §. 14.

## §. 14.

Hoc mortuo successit NICOLAUS, qui vixit annos viginti duo, & obiit anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo secundo.

## §. 15.

ALBERTUS II. postea assequutus est Archiepiscopatum. Is *primus Archiepiscopus Rigensis* cooptatus & constitutus est, qui Ecclesiam Rigensem, quæ Archidiecepsi Bremensi subiacebat, liberam fecit, & Archiepiscopatu Rigensi adjunxit. Occubuit is anno Christi millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, cum gubernasset Archiepiscopatum annos triginta.

## §. 16.

JOANNES DE LUNEN *successit*, Archiepiscopatumque obtinuit *post morte Alberti I.* Is cum laudabiliter gubernasset Archiepiscopatum annos tredecim, mortuus est, anno Christi millesimo ducentesimo octuagesimo nono.

## §. 17.

JOHANNES II. *in Archiepiscopum Rigensem cooptatus & constitutus est.* Is à suis propriis subditis & nobilitate nonnullis de causis captus, & per longum tempus incarceratus fuit: postquam vero gubernasset annos novem, è vita excessit, anno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo quarto.

## §. 18.

JOHANNES III. *de Suerin assequutus est Archiepiscopatum Rigensem.* Is cum gubernasset annos sex, propter invidiam & discordiam Fratrum Ordinis captus, & in vinculis retentus, obiit, anno Christi millesimo trecentesimo.

## §. 19.

ASSVERUS EX DANIA *ortus, tunc assequutus est Archiepiscopatum Rigensem:* posteaquam vero gubernasset annos duos renunciavit, & *Archiepiscopatum Lundensem* suscepit, ad quem cooptatus erat, eoque se contulit ex Livonia.

## §. 20.

FRIDERICUS *ex Nobilissima Familia Bannerorum,* Frater Ordinis S. Francisci, postea cooptatus est in Archiepiscopum Rigensem: cum vero optime Archiepiscopatum gubernasset triginta novem annis, obiit, anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo.

## §. 21.

ENGELBERTUS à DALEN, Episcopus Derbatensis, cooptatus & constitutus est in Archiepiscopum Rigensem: cum multas dissensiones, controversias & litigationes, cum Fratribus Ordinis, ratione Archiepiscopatus sustinuisset, postquam gubernasset Archiepiscopatum annos tres, è vita excessit.

## §. 22.

## §. 22.

FROMHOLDUS à FISCHHAUSEN successit, & cooptatus est in Archiepiscopum Rigensem. Is cum Romæ à Clemente Papa sexto, magna adhibita cura atque diligentia decretum obtinisset, ne urbs Rigenumque aliæ Jurisdictioni & gubernationi, quam Archiepiscopatus Rigenis subjecta esset, idque rescivissent Fratres Ordinis, ob inique obtentum decretum, ex sententia illorum Archiepiscopus ex Livonia exterminatus & expulsus est: cum gubernasset annos viginti, Romæ obiit, anno Christi millesimo trecentesimo sexagesimo.

## §. 23.

SUSCRIPIDUS à BLEIMBERGK *post mortem Fromholdi successit*, qui pacificè gubernacula Archiepiscopatus Rigenis administravit per annos tres, quo etiam è vita excessit anno.

## §. 24.

JOANNES DE IMBTEN postea cooptatus est in Archiepiscopum Rigensem. Is multas, tempore gubernationis suæ, condidit & extruxit in Archiepiscopatu Rigeni arces. Posteaquam vero summa pietate atque vigilantia quamplurimos annos administrasset Archiepiscopatum, à Bonifacio Papa, propter pietatem & doctrinam suam, vocatus & ordinatus est in Patriarcham Alexandrinum: cum vero Archiepiscopatum renunciasset, post gubernationem ejus annis triginta, cundo Romam, in itinere mortuus est.

## §. 25.

## §. 25.

JOANNES WALNRADE, natione Francus, Frater Ordinis Teutonici, postea cooptatus & constitutus est in Archiepiscopum Rigensem. Hic, cum laudabiliter gubernasset Archiepiscopatum annos viginti, post hæc in Concilio Constantinensi tempore Bonifacii Papæ IX. statum suum spirituales mutavit, & simul cum Archiepiscopatu deposuit, secularemque suscepit.

## §. 26.

HENNINGUS ABUNDI *successit*. Is cum pacificè Archiepiscopatum Rigensem administrasset annos quatuor, anno eodem è vita excessit.

## §. 27.

HENNINGUS SCHARPENBERGK, Frater Ordinis Teutonici, postea cooptatus & constitutus est in Archiepiscopum Rigensem. Cum itaque Archiepiscopatum benè gubernasset annos viginti quatuor, eo anno mortuus est.

## §. 28.

SYLVESTER, Frater Ordinis Teutonici è Prussia ortus, cooptatus & constitutus est in Archiepiscopum Rigensem. Hoc gubernante, Fratres Ordinis, cum contra Archiepiscopum nonnullis de causis bellum movissent, & armata manu Archiepiscopatum invasissent, atque vicum expugnassent occupassentque, *obsessa arce Kockenhausen* eaque ex-

expugnata, Archiepiscopum captivum veneno interfecerunt, anno Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo nono.

§. 29.

STEPHANUS GRABEN, *Germanus*, Frater Ordinis Teutonici, *assequutus est Archiepiscopatum Rigensem*, qui & Episcopus Groyensis erat. Ast cum non consensu omnium Fratrum Ordinis in Archiepiscopum Rigensem cooptatus & nominatus esset, cæteri eum pro Archiepiscopo nullo modo agnoscere, neque illi adventum in ditiones suas concedere voluerunt: Attamen, præter omnem spem Fratrum Ordinis, is per Lithuaniam iter faciendo Archiepiscopatum invasit, & præsens illum sine difficultate possedit & obtinuit. Verum dimidiò tantum anno rerum potitus, anno Christi millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, fato functus est.

§. 30.

MICHAËL HILDEBRANDUS postea successit, è civitate Revaliensi natus. Is cum multa variaque bella gessisset contra Moschos, atque urbem *Plescow* vi expugnasset, anno Christi millesimo quingentesimo secundo postquam gubernasset annos viginti quatuor, è vita excessit, anno Christi millesimo quingentesimo nono.

§. 31.

CASPARUS LYNDE, *Westphaliensis*, consensu

## 14 De Livonia Imperantibus.

sensu omnium Fratrum Ordinis Teutonici in Archi-Episcopum Rigensem cooptatus & nominatus est. Hic cum pacificè & laudabiliter gubernasset Archi-Episcopatum annos quindecim, mortuus est, anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quarto. Hic suis temporibus multas condidit extruxitque arces, nempe arcem *Marienhausen, Kockenhausen, Rueneburgk* & alias; porro multa tormenta bellica præparari & confici curavit in usum Republicæ, vivensque adhuc *Coadjutorem Archi-Episcopatus Rigenfis* cooptavit, JOHANNEM BLANCFELD *Doctorem Episcopumque Verbatensem & Revaliensem.*

### §. 32.

Successit itaque JOHANNES BLANCFELD vigesimus secundus Archi-Episcopus Rigenfis, Danus, Coadjutor jam denominatus ac cooptatus à Casparo Lynde præcessore suo. Cum vero in suspensionem quandam cum Mosscho incidisset, eaque de causa multa detrimenta & damna ab Ordinibus sustinisset passusque esset, incarceratus ab eis & in vinculis detentus, donec, controversiis habitis, dissensionibus tractationibusque variis, negotium hoc amicabiliter cum eo compositum est. Ablegatus is in negotiis tandem Ordinis ad Clementem Papam tertium, Carolumque V. Imperatorem, veniens in Hispania Placentiam, morbo repenti extinctus est, anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo septimo.

### §. 33.

Mortuo Johanne Blanckfeld successit Archi-Episco-

piscopus THOMAS SCHONINGK, qui pacifice gubernavit Archi-Episcopatum Rigensem & obiit anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo nono.

§. 34.

WILHELMUS deinde, MARCHIO BRANDENBURGENSIS, consentientibus sententiis omnium Ordinum & Fratrum militiæ sacræ, cooptatus & creatus est Archi-Episcopus Rigensis, anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo primo. Cum is per quamplurimos annos laudabiliter & quietè gubernasset, tandem turbatus est, exortis controversiis atque discordiis de rebus nonnullis inter *Archi-Episcopum & Magistrum Ordinis Teutonici Henricum de Galen, & Coadjutorem ejus Wilhelmum Furstenbergk*, ubi Archiepiscopus ab eis bello aggravatus impeditus atque simul cum Episcopatu in eorum potestatem redactus est. Verum Rex Poloniæ *Sigismundus Augustus primus*, ut pro necessitudine sanguinis, quæ illi cum Archi-Episcopo intercedebat, atque pro officio protectionis, qua de causâ Archiepiscopatus & Ecclesia Rigensis ei commendata fuerat, eum ad pristinum statum adfere-ret, & suas etiam offensiones, cum subditorum suorum Magni Ducatus Lithuanix injuriis à Livonibus illatis, armis vindicaret, bellum adversus Livones parare cœpit; cum simul & ALBERTUS SENIOR, Dux Prussix, Fraterque Archi-Episcopi Rigensis, ulciscendæ fraternæ injuriæ causa ageret. FERDINANDUS quoque Rex Hungariæ de motibus hisce Livonicis certior factus, cum aliis statibus imperii, per Oratores suos apud regem Poloniæ intercessit postulavitque, ut sepositis belli consiliis,

rem

rem ad conditiores pacis & tranquillitatis deduci  
 permetteret. Cum in hoc rex Poloniae pro suo in  
 regem Hungariae filiali studio & observantia, suam  
 ad pacem Christianitatis conservandam propensione  
 declaravisset ostendissetque ab armis discessu-  
 rem si primo Archi-Episcopus Rigensis ad pristinum  
 dignitatis rerumque suarum locum restitueretur,  
 & deinde à Magistro Livoniae suarum offensionum,  
 & subditorum suorum ad injuriam sarcendam con-  
 ditiones acciperentur, & Oratores praedicti in Li-  
 vonia cum Ordinibus omnibus hisce de rebus denuo  
 apud regem Poloniae agerent, res tandem eo de-  
 venit, ut, longis diuturnisque tractatibus ab utris-  
 que partibus peractis, per licitas condiciones transi-  
 geretur & ad pacem concordiam ac tranquillitatem  
 deduceretur, omnesque motus componerentur at-  
 que pacarentur: anno Christi millesimo quingente-  
 simo quinquagesimo septimo.

## §. 35.

Post obitum Wilhelmi, CHRISTOPHORUS  
*Dux Megapolensis* cooptatus Coadjutor successit &  
 factus Archi-Episcopus Rigensis. Cum vero prop-  
 ter multas variasque causas & imminetia pericu-  
 cula, omnes Status simul & Ordines Ducatus Li-  
 voniae, vivente adhuc Archiepiscopo, concorde  
 omnium sententia & voluntate *Regem Poloniae SI-  
 GISMUNDUM AUGUSTUM* &c. pro Domino suo  
 haereditario elegissent cooptassentque, idque jure-  
 jurando confirmassent approbassentque, cumque  
 post multas preces atque sollicitationes nulla auxilia  
 defensionisque à Romano Imperio impetrare po-  
 tuissent, & interim Mosschus igne & ferrò majore-  
 rem Provinciae illius partem occupasset, ex altera  
 vero

vero parte Rex Sueciæ Ericus XIV. quibusdam clanculariis practicis & promissis sibi Livoniam ad hædere studuisset; Christophorus Dux Megapolensis Archi-Episcopus Rigenfis, qui beneficio regis Poloniæ & Coadjutor & postea Archi-Episcopus Rigenfis factus, & paulo post ex gratia Regis, è gravissima & magnifica Livoniensi obsidione ac vinculis liberatus multisque aliis officiis Regis beneficiisque adfectus, fervore vel ætatis ipsius, vel pravis nonnullorum consiliis incitatus, ad Ericum XIV. Suecorum Regem hostem publicum Regis Poloniæ defecit, rejecto Rege Consanguineo Amico ac Benefactori suo. Verum posthæc obsidente exercitu Regis Poloniæ arcem Dalensem victus captusque in potestatem captivitatemque Regis venit, in eaque captivitatis conditione annos penè sex versatus est, usque dum tandem habitis transactionibus ad concordiam & amicabilem compositionem negotium hoc pervenit, ubi Archiepiscopus ex mera gratia & clementia Regis prædicti à vinculis liber pronunciatus est. Ast Dux Archi-Episcopus Rigenfis, cum beneficio Regis Archiepiscopatum recuperasset, sponte se Regis gratiæ denuò submisit, publicè renuntiavit, seque in patriam suam recepit. De Successore Archiepiscopatus Rigenfis suo loco fiet mentio.

§. 36.

Nunc redeo ad Magistros Ordinis Teutonici qui per annos trecentos Livoniensibus dominaverunt.



## §. 37.

Anno Christi millesimo ducentesimo trigesimo, primus Magister Ordinis in Livonia ab Ordinibus & Fratibus Ordinis Teutonici, cooptatus electus & constitutus est WEIMARUS. Hoc gubernante exstructa & condita est civitas Wendena, arx Segewalth & arx Asfcherath, arcem quoque Kockenhausen cum aliis Fratibus Ordinis Teutonici, difficili obsidione fatigatam, Ruthenis pulsus occupavit, interfecto rege eorum Woldemaro. Verum paulo post & ipse Magister cum quamplurimis fratribus Ordinis per præfectum Wendensem, nonnullis de causis, cum gubernasset annos octodecim, proditus, interfectus est.

## §. 38.

ANDREAS secundus Magister Ordinis Teutonici successit, cujus sub gubernatione condita & ædificata est civitas & arx Vellin. Hic temporibus suis multa gessit bella contra Moschos & contragentes barbaras in Semigallia, simul & insulam Oziliam, civitatemque Revaliensem, pulsus Danis, vi expugnatam occupavit, ibique arcem exstrui curavit. Postremo tamen, cum bellum contra Lithuanos movisset, ibi præliando ab exercitu Ducis Lithuanicæ, cum quamplurimis fratribus Ordinis interfectus est.

## §. 39.

HERMANUS postea successit. Cum is Magister Ordinis esset, gessit cum Moscho varia & gravissima

ma bella. Verum postea Mosschus totam provinciam Gernensem coactus cessit Ordini, cum arcem Isfborgk bello, trucidatis aliquot millibus Mosschis, vi expugnatam occupasset. Obiit cum gubernasset Livonienses annos sex.

§. 40.

DIRICUS A GRININGEN successit: quem cum in Magistrum Livoniæ cooptassent, in Curlandia arces has *Goldingen & Amboten* ædificare curavit. Posteaquam vero multa & varia bella gessiisset contra Lithuanos, vocatus & cooptatus in supremum Magistrum Ordinis Teutonici in Prussia è Livonia reversus est.

§. 41.

FRIDERICUS à *Hennebergk* receptus est in Magistrum. Cum is gubernasset quietè & pacifice annos duos, reversus est in Germaniam.

§. 42.

ANDREAS DE SEELANTH successit: qui cum receptus esset in Magistrum Ordinis, temporibus suis multa tentavit, gessitque bella contra Lithuanos in Samogitia. Posteaquam vero feliciter multas victorias obtinuiisset, & gubernasset annos sex, recepit se rursus in Germaniam.

§. 43.

ANNONUS postea successit & factus est Magister Ordinis. Hic, adjunctis sibi Fratribus Ordinis,

nis, expeditionem insignem paravit & fecit in Semigallia & post hæc in Samogitia, in quo prælio multa millia ex utraque parte trucidata sunt. Cum vero rediisset, magno cum sui suorumque damno, è vita excessit.

## §. 44.

BARCHARDUS A LORHUSEN post hunc receptus est in Magistrum Ordinis Teutonici. Cum hic quoque multa & varia bella gessisset contra Samogitas, Lithuanos & Mosschos, in prælio cum centum & octoginta fratribus Ordinis, ab exercitu Lithuano interfectus est, cum gubernasset annos quatuor.

## §. 45.

GEORGIUS *Vicegerens Prussiae*, postea successit, & Magister Ordinis Teutonici factus. Hic quoque temporibus suis multa & gravissima bella gessit contra gentes barbaras, tam in Lithuania quam in Samogitia & Ozilia. Cum & eo gubernante tota Ozilia defecisset à religione & fide Christiana, majorque pars eorum iterum assumsisset colere idola & amplecti, Magister cum fratribus Ordinis summa adhibita cura atque diligentia, ad fidem Christianam eos denuò ferro & igne redire coëgit reduxitque. Eo tempore & rex Mundauius fidem religionemque Christianam suscepit. Verum cum gubernasset annos tantum duos, reversus est in Germaniam.

## §. 46.

CONRADUS à *Manderen* successit ei. Cum is Magister Ordinis in Livonia factus esset, contra ethnicos quam plurima bella gessit in Semigallia. Condidit & exstruxit etiam arcem *Mittau* in Curlandia, & arcem *Weisenstyn*. Post hæc reversus est in Germaniam cum gubernasset annos tres.

## §. 47.

OTTO postea cooptatus est in Magistrum Ordinis, qui cum in finibus *Mosschoviæ* arcem *Isfborgk* occupasset, eamque flammis absumsisset, obsessa denuò arce *Pleskow* eam vi expugnatam occupavit. Cum denique militandi causa exercitum contra Lithuanos instruxisset & adduxisset, ibi in prælio cum insigni numero fratrum Ordinis circa arcem *Kockenhausen* interfectus est, uno tantum anno rerum potitus.

## §. 48.

ANDREAS successit & receptus est in Magistrum Ordinis, qui & Vicegerens Prussiæ fuit. Is cum bellum inferre Lithuanis statuisset, militando cum eis, cum quamplurimis fratribus Ordinis interfectus est, cum gubernasset annum unum.

## §. 49.

WOLTHERUS A MORDEKOW receptus est in Magistrum Ordinis Livoniæ. Hic cum sub potestatem suam redegisset provinciam Semigalliæ,

certam ejus provinciæ partem postea cessit Archi-  
Episcopo Rigensi, & anno quarto obiit.

## §. 50.

SUCCESSIT ERNESTUS: Qui cum Magister  
Ordinis esset creatus, arcem *Duneburgam* exstrue-  
re curavit. Posteaquam vero bellum movisset con-  
tra Lithuanos, prælio facto, multis cæsis, victoriam  
obtinuit. Ast cum cum exercitu triumphante re-  
vertere vellet, & milites Lithvaniæ sequi eum sta-  
tuissent, is vero armata manu eos denuò invasif-  
set, ibi, insigni numero militum Ordinis trucidato,  
Magister cum fratribus quamplurimis Ordinis  
in prælio interfectus est, cum annos gubernasset  
duos.

## §. 51.

SUCCESSIT postea CONRADUS A WYTHWAN-  
GEN. Hic postquam cooptatus esset in Magistrum  
Ordinis, & gubernationis ejus tempore provincia  
Semigalliæ iterum defecisset à religione Christia-  
na, multis eam præliis compescuit coëgitque ar-  
mis, ut reverteret ad fidem Christianam. Tandem  
postremo cum insigni numero fratrum Ordinis in  
prælio interfectus est.

## §. 52.

Hunc post WILHELMUS AB ENDERPEN re-  
ceptus est in Magistrum Ordinis Livoniæ: multa  
is bona & salutaria fecit atque constituit in Eccle-  
sia Christi. Archi-Episcopatum enim Rigensem  
redegit in suum pristinum ordinem atque statum,  
eum-

eumque adjunxit aliis Ecclesiis, nempe Ecclesiæ Wendenſi, Wolmarienſi, Burthnicenſi & Tricatenſi: Contra barbaros etiam in Semigallia sæpe munero geſſit graviffima bella cum commodo & utilitate totius Ordinis. Aſt poſtremo cum quamplurimis fratribus Ordinis ab iſdem barbaris interfectus eſt, cum gubernaffet annos ſex.

§. 53.

HELTUS poſtea receptus eſt in Magiſtrum Ordinis. Pacificè iſ & quietè gubernavit annos quinque. Hic multas etiam confœderationes & pacta cum Episcopis & aliis externis hominibus ratione pacis & concordiæ inſtituit: obiit vero anno quinto.

§. 54.

HENRICUS A DURENSCHLAGK in Magiſtrum Ordinis cooptatus & receptus eſt poſt eum. Poſtquam iſ multas variasque controverſias cum Episcopo Derbatenſi habuiſſet, eaſque ad pacem & tranquillitatem perveniſſe ſtatuiffet, quietè è vita exceſſit, poſteaquam gubernaffet annos duos.

§. 55.

BRUNAU deinde ſucceſſit & Magiſter Ordinis factus eſt: Hoc gubernante inter ipſum & Rigenſes de rebus nonnullis controverſiæ exortæ ſunt, unde mota ſunt bella. Cum vero Magiſter magna cum claſſe militum Rigenſes invaſiſſet, facto prælio apud flumen Ae, victus, & ejus exercitus par-

## 24 *De Livonia Imperantibus.*

tim in fluvio submersus, partim cum quamplurimis fratribus Ordinis trucidatus, & ipse Magister interfectus est, cum gubernasset annos duos.

### §. 56.

ANDREAS GODFRIED receptus est postea in Magistrum Ordinis: qui cum nullo pacto controversias & dissensiones componere potuisset, quæ à Brunone interfecto originem sumserant, postquam gubernasset annos octo, è vita excessit.

### §. 57.

GOTHARDUS A JORIGK deinde fit Magister Ordinis: Gubernante hoc, dira fames fuit in Livonia, qua multa millia hominum fame interierunt. Porro cum annos complurimos gessisset bella, tam contra Mosschos quam etiam Lithuanos, cum gubernasset annos quatuordecim fato functus est.

### §. 58.

Huic successit EBERHARDUS A WOLHEIM, & in Magistrum Ordinis receptus est, eques strenuus & severus. Cum gubernante illo Rigenses sese associarent Lithuanis & pacta tractationesque inter se haberent, quorum propositio & institutum eò tenderet, quibus modis & rationibus fratres Ordinis ut & Magistrum reprimere extirpareque possent, idque rescivisset Ordo, bellum illis inferre statuit. Cum ex parte post civitatem Rigensem obsedissent, eamque vi expugnatam occupassent, Rigenses coacti armis deditonem fecerunt,

runt, & in potestatem Ordinis redacti sunt, ubi Magister arcem condidit & exstruxit, ut tantò melius illos compescere posset; alteram quoque arcem Dalen fieri fecit: Porro gravissima bella gessit, tam contra Mosschos, quam contra Lithuanos & Samogitas. Cum vero gubernasset annos duodecim, reversus iterum est in Germaniam.

§. 59.

SUCCESSIT deinde BURCHARDUS: Qui cum receptus esset in Magistrum Ordinis, gubernante eo ex consensu fratrum Ordinis à Rege Daniæ pronovendecim millibus Marekarum Renensium erpta est provincia *Horriou & Wirlandh* cum arce *Revaliensi, Wisenborgk & Narva*. Ast cum propter fidem Christianam, multa & varia cum barbaris hominibus gessisset bella, postquam gubernasset annos quatuordecim, in castris cirçæ fluvium *Æ*, è vita excessit.

§. 60.

Huic successit ARNOLDUS A WITICHOVE, & factus est Magister Ordinis. Hic quoque suis temporibus quamplurima & gravissima bella gessit contra infideles in Lithuania. Cum vero movisset bellum contra Constantinum regem Lithuanorum atque arcem *Caroneu* difficillima obsidione fatigasset, & vi expugnatam occupasset, (ubi rex victus simul cum filio & aliis quamplurimis militibus, trucidatus & interfectus est) postquam gubernasset annos quatuor Magister obiit.

## §. 6.

HOTTUS sequitur, & in Magistrum Livoniæ receptus est. Gessit hic quoque difficillima bella contra Moschos, Lithuanos & Samogitas. Cum vero gubernasset annos quinque è vita excessit.

## §. 62.

SUCCESSIT EI ROBIUS DE ELVEN; hoc gubernante homines barbari circum circa armata manu Livoniam debellaverunt eamque subegerunt quos postea, cum difficultate magna, per continua bella Magister pepulit, Livoniamque denuò in suum pristinum statum redegit.

## §. 63.

WEINMARS BRUCKA deinde receptus est in Magistrum Ordinis. Hoc gubernante multæ ac variæ dissidiæ ortæ sunt de causis nonnullis, inter fratres Ordinis & inter Episcopum Derbatensem. Derbatenses enim, cum se Lithuanis associassent, militem conscriptum ex iis partibus in Livoniam adduxerunt, homines barbaros, cum quibus Magister multa bella gessit. Attamen postremo milites barbari summa cum difficultate iterum expulsi, alii trucidati sunt: Ipse vero Episcopus Rigenfis negotium hoc inter ipsos composuit. Postquam gubernasset Magister annos octo è vita excessit.

§. 64.

SUCCESSIT CONRADUS & in Magistrum Ordinis cooptatus & receptus est. Cum is bellum movisset contra Moschicos, atque multa millia exercitus sui in fluvio Mundawa submersa essent, arcem Plefcow vi expugnatam occupavit. Posteaquam vero feliciter gubernasset annos novem, mortuus est.

§. 65.

DIRICUS TURCK post hunc receptus est in Magistrum Ordinis, qui, cum feliciter & quietè gubernasset annos duos, obiit.

§. 66.

SUCCESSIT huic SEWARDUS DE SPANNEME & in Magistrum Ordinis receptus est. Gessit is quoque cum Lithuanis multa variaque bella. Cum vero gubernasset annos decem è vita excessit.

§. 67.

Deinde successit HESSUS, qui etiam sæpenu-mero bella gessit cum Lithuanis: Verum cum post bellum gestum reversus esset æger, nihilque com-  
modi effecisset, obiit, postquam gubernasset annos X.

§. 68.

SUCCESSIT ei JOHANNES KYRCHOW: qui cum bellum movisset contra Lithuanos, cum quam-  
plurimis fratribus interfectus est.

## §. 69.

HENRICUS DE BOCKEWERDE postea successit. Gubernante hoc variæ & gravissimæ controversiæ in Archiepiscopatu & Ordine compositæ atque pacatæ sunt: cum vero gubernasset annos tres è vita excessit.

## §. 70.

DIRICUS FINCKE successit ei: Cum is Magister Ordinis factus esset atque contra Mosschos multa bella gessisset, postquam gubernasset annos quatuordecim, fato functus est.

## §. 71.

JOHANNES MEYDEN in Magistrum Ordinis postea evectus est. Gubernante illo Prussia à rege Poloniæ continua oppugnatione civitatum & arcium graviter quassata & impedita est. Ast cum Magister Ordinis multas variasque dissensiones ac controversias in Livonia composuisset, postquam gubernasset annos novendecim è vita excessit.

## §. 72.

Successit deinde JOHANNES WOLTHUSEN & factus est Magister Ordinis. Condidit is & exstruxit arcem Bauske: Posteaquam vero in suspicionem quandam incidisset cum Mosschis, à fratribus Ordinis captus incarceratus & ob causam eam interfectus est.

§. 73.

BERNHARDUS DE BURGH postea in Magistrum Ordinis euectus est. Multa is & gravissima bella gessit contra Moschos, cum arcem Plefkow occupasset, paulò post alteram arcem Isbrock vi expugnatam flammis absumsit. Cum quoque bellum Rigenfibus intulisset eosque circum circa debellasset atque vicisset, totam arcem Rigensem funditus evertere atque devastare curavit: postquam vero gubernasset annos tres è vita excessit.

§. 74.

Insequutus eum est JOHANNES FREYTAGK. Cum is bellum intulisset Rigenfibus, apud arcem Dunemunda in proelio captus & cum quamplurimis fratribus Ordinis interfectus est.

§. 75.

WOLTHERUS à PLETENBERGK è familia nobilissima successit ei, & in Magistrum Ordinis electus est. Cum temporibus suis varia & gravissima cum variis gessisset bella, cumque quietè & optimè non cum parvo commodo totius Ordinis gubernasset annos quadraginta, fato functus est, anno Christi millesimo trecentesimo quinto.

§. 76.

HERMANNUS BRUGGENE, dictus Hasen Kampf, successit & Magister Ordinis cooptatus est. Verum cum feliciter ac quietè gubernasset annos  
qua,

quatuordecim, è vita excessit anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo nono.

## §. 77.

Dein successit JOHANNES DE RECK, & Magister Ordinis creatus est. Hoc gubernante cum ex consensu Fratrum Ordinis cooptasset in Coadjutorem seu successorem WILHELMUM FURSTENBERGK, exorta nonnullis de causis controversia est inter Ordines & Status Livoniæ, ubi cum bellum movisset contra *Wilhelmum* Archi-Episcopum Rigensem, Marchionem Brandenburgensem, non solum ab eis impeditus, verum etiam in eorum potestatem redactus est: Ast rex Poloniæ Sigismundus Augustus pro necessitudine sanguinis quæ illi cum Archi-Episcopo intercedebat, atque pro officio protectionis, qua de causa illi Archiepiscopatus Rigenfis commendatus fuerat, ut illum in pristinum statum assereret, & suas offensiones, subditorumque suorum Magni Ducatus Lithuanix injurias, & damna illata, armis vindicaret, bellum adversus eos suscepit, quod & Dux Prussix, ulciscendæ fraternæ injuriæ causa, agere, & bellum inferre Ordini, statuebat. Interea prædictus Henricus de Galen Magister Ordinis in Livonia è vita excessit, anno nempe Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo. Cum postea successisset, & in Magistrum Ordinis receptus esset WILHELMUS FURSTENBERGK non continuare is bellum sed finire statuit voluitque. Ast de motibus hisce Livonicis Ferdinandus Imperator certior factus, intercessione sua per Oratores egit apud regem Poloniæ, ut sepositis belli consiliis, rem ad conditiones pacis deduci permitteret: Qua  
in

in re rex Poloniæ suam ad pacem Christianitatis conservandam propensionem & studium declaravit; si primum Archi-Episcopus Rigenfis ad pristinum dignitatis rerumque suarum locum restitueretur, & deinde à Magistro & Statibus Livoniæ suarum offensionum, subditorumque suorum injuriam faciendam conditiones acciperentur. Postquam vero iis de rebus Oratores Imperatoris tam in Livonia apud Ordines & Status, quam etiam apud Regem Poloniæ egissent, variis longisque tractationibus habitis, per conditiones licitas, negotium hoc omnium controversiarum, ab utraque parte ad concordiam & tranquillitatem deductum est.

§. 78.

Cum jam in Livonia istæ dissensiones & controversiæ pacatæ ac compositæ essent, gubernante *Wilhelmo Furstenbergk*, Magistro Ordinis in Livonia, anno videlicet millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, paulo post *Mosschus* cum exercitu numerosissimo & instructissimo invasit Livoniam, quam per aliquot annos propemodum funditus devastavit & desolavit: Cui cum se Magister Ordinis cum militibus suis opponeret & bellum inferre statuisset, ad arcemque *Vellin* exercitum suum perduxisset, seque ibi obsidioni tradidisset, *Mosschus* quam celeriter congregavit & traduxit ad eam arcem univasas copias. Postquam gravissima obsidione per longum tempus arcem fatigasset, tandem proditione coactus Magister deditioem fecit, ubi Magister, vi expugnata & occupata arce captus, in *Mosschoviam* deductus est.

## §. 79.

Insequutus est GOTHARDUS KETHLER è nobilissima familia ortus, vir armis pariter & consilio, industria animoque promptissimus & acerrimus. Postquam *Wilhelmus Furstenbergk à Mosschis* captus deductusque esset, à Statibus & militibus Livonicis, in castris, hic in Coadjutorem Magistri Ordinis cooptatus, constitutus & receptus est, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo: Nam unum ex omni numero ad gerendum illius provinciae imperium idoneum existimabant, cujus spectata fides, prudentia, dexteritas & vigilantia in rebus gerendis erat. Cum vero tota Livonia ex parte Magni Ducatus & vicinitatis, multis partim antiquis, partim novis factis & foederibus devincta consociataque esset, eaque jam aliquot ab annis, immanissimi hosti Mosschi armis crudelibus incendiis & vastationibus propemodum funditus esset everfa ac desolata, ita, ut extrema illi quoque imminerent, nec quicquam certius esset, quam quod ad primam quamque iteratam incurfionem illius præpotentis hostis, reliquum, tam in Dicecesi Rigenfi, quam in terris Magistri Ordinis Teutonici, similibus cladibus excinderetur & deleretur, veniretque in durissimam servitutem, (quemadmodum jam pars magna Gothardo Kethlero gubernante propter multarum civitatum, arcium propugnaculorumque amissionem venerat) & ob maximam in omnes partes depopulationem vastationemque ferro atque igne illatam, propterque quotidianas incurfiones, magnumque ad reliquias occupandas hostis adparatum, Ordines ad angustias & difficultates redacti essent, ut  
nequa-

nequaquam opibus viribusque propriis statum suum defendere atque à servitute & crudelitate hostili tueri vindicareque possent, hinc Magister Ordinis Teutonici Statusque atque Ordines universi; dum & omnia domestica sua consilia convulsa, & se ab aliorum præfidiis, præsertim Imperatoris ac Statum Romani Imperii destitutos animadverterent, à vicino etiam rege Sueciæ auxilia terra marique frustra peterent, exposuerunt supplices, tam suo, quam civitatum aliorumque Livoniæ Ordinum, ad dictum Magistrum spectantium, nomine, crebris internunciis atque literis præsentem calamitatem gravissimumque periculum regi Poloniæ, ejusdemque opem atque auxilium multis precibus implorarunt. Poloniæ rex *Sigismundus Augustus*, piæ memoriæ, & commiseratione afflictissimæ Provinciæ & amore totius Reipublicæ adductus, ne barbarus hostis latius pro sua libidine in populum Christianum grassaretur, dedit negotium *Nicolao Radzywil*, Palatino Wilnensi, ut se in Livoniam reciperet, ac primo quoque tempore Rigam peteret, ibique tam cum Magistro ipso, quam cum illius Ordinibus & civitatibus de ineunda defensionis ratione tractaret: Quod cum factum esset, atque res ad tractationis negotium pervenisset, & in illis tractatibus ab omnibus perspiceretur, nisi communibus viribus, tam Polonorum quam Lithuanorum, defensio susciperetur, non posse hostilem potentiam reprimi, nec Polonorum auxilia, nisi deditio ad regnum Poloniæ fieret & magui ducatus Lithvaniæ, adduci; tandem extremo hoc casu, ita ut in rebus desperatis sit, & in præsentis periculo expositum est, deventum est eò, ut de facienda deditioe statuerent: Qua de causa communis profectio, tam ab ipso Magistro prænominato, quam

ab Ordinum ac civitatum nunciis Vilnam ad regem suscepta est. Ibi cum advenissent, deditionem reliquarum provinciarum ditionumque suarum regi annunciarunt, ne multis modis adflicta Livonia, vel in spe dubia vel ancipiti statu rerum suarum, vel etiam omni ope destituta & extremæ depopulationi hostili exposita relinqueretur, & mutata voluntate, vel servitutem tyrannicam, vel alias quantumvis iniquas condiciones subire cogere, sed ut & de indubitata ope & præsidio regis, & Rex vicissim de constanti fide & voluntate certus esse posset. Tandem post varios multosque tractatus, ita de eorum subjectione, tum temporis, inter Regem Poloniæ & prædictum Magistrum aliorumque Ordinum ac civitatum nuncios conventum est, ut ipsa Liuvonia ex nunc Regi Poloniæ, Magno Duci Lithuanix subiecta esset, & in perpetuum maneret; Rex vero Poloniæ vicissim totis viribus regni, magnique Ducatus Lithuanix, cumque omnibus ditionibus suis, tam adversus Mosschos, quam etiam adversus omnes alios hostilia molientes defendere eam, propugnacula facere, arcesque amissas denuò repetere & recuperare deberet tenereturque. Ast post hæc Magister Livoniæ, ad equestris Ordinis consilium, Regisque Poloniæ ad probationem statum sui Ordinis mutavit in secularem, in Ducem Curlandiæ & Semigalliæ inauguratus, vasallusque sive feudatarius Princeps, Regis Poloniæ, ab eodem factus, constitutus & confirmatus est, cui Rex Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ, ut & totam provinciam Cis-Dunensem assignavit, contulit atque dedit, quam & nunc tenet: quas arces & civitates in se contineat de iis suo loco fiet mentio. Porro Rex Poloniæ, pro se & Serenissimis successoribus suis, ratione suscep-

susceptæ defensionis, aditorum ac etiam nunc adeundorum multorum periculorum & certaminum desperatis ferè jam rebus Livoniæ, sumsit totum tractum & omnem reliquam provinciam, tam ditionum & terrarum Magistri, quam etiam Archi-Episcopi ultra fluvium Dunam, sibi que reservavit, quæ omnia Magister Ordinis sive Dux Curlandiæ ad equestris Ordinis consilium & consensum, Regi Poloniæ ejusque Serenissimis successoribus resignavit, dedit atque cessit temporibus perpetuis habenda ac possidenda. Horum omnium singularumque ditionum, terrarum ac districtuum prædicti *Ducatus Livoniæ Trans-Dunensis*, Rex Poloniæ *Gubernatorem* sive *Administratorem* constituit & ordinavit, Illustrem Magnumque Dominum JOHANNEM CHODKIEWYCZ, Baronem in Ssklow & Bychow, Castellatum Vilnensem sub cujus administratione Livonia nunc viget.

C A P U T II.

*De Ducatus Livoniæ situ.*

§. I.

**L**ivonia est terra ampla, ad Sinum Veneticum sita. Longitudo ejus à finibus Porussix versum ortum Solstitialem Rigam usque, & inde ad Borealem terminum, est milliarum fermè centum: Latitudo, ubi maxima, est circiter quadraginta miliarium, exceptis insulis ad eam pertinentibus. Sylvosa est, & pascuis, frumentis, melle, feris, pecudibus, piscibus & aliis rebus ad victum necessariis, abundat.

## §. 2.

Incolarum plura esse & diversa genera, dissimilitudo linguarum indicat, quarum aliquas de veteribus colonis reliquas esse consentaneum est. Præter Germanicam enim & Heneticam linguam tres aliæ conservantur ab hisque diversæ & inter se discrepantes, quarum ea, quam Æsthonicam vocant, vocalibus quibusdam, sed valde depravatis, Latinum idioma refert, ita ut non sit absimile, quod aliqui annotarunt, à Wallachis, qui Latinorum coloni sunt, argumento nominis & linguæ, Lithuanos, ab hisque Livanios ad Revaliam ortos esse, sicut & nomen Revaliensium ad Wallios seu Wallachos alludit. Verum enim vero recentes Revaliæ incolæ à Danis eo translatae sunt, quas contra Sarmatas Henetosque perpetua in littore maris Venetici bella gessisse testantur historiæ & monumenta quæ supersunt. Revaliam enim incolæ adhuc hodiè *Danopil* sua lingua vocant, & *Gedanum*, cui eruditorum conjectura *Codani* adpellatio vicina est, *arcem Danis oppositam*, Henetorum lingua, significat.

## CAPUT III.

## De Provinciis Ducatus Livoniae.

## §. I.

Continet Livonia provincias, *Curlandiam*, *Semigalliam*, *Osiliamque* maritimam quæ insula est: *Archidiacesin Rigensem*, *Episcopatum* & *Diocesis*

*cesin Deptensem terrasque Magistri olim Ordinis Teutonici, nempe, terram Wirlandh, Gervium vulgò Jerven, Harriam, Wyckam, Æstoniam, Liven & Lethlanth.*

§. 2.

Sunt vero hujus Ducatus *termini ab ortu, latus nuncupatus Peibas, in finibus Ruffiæ Albæ: à meridie penes Magnum Ducatum Lithuaniae limites positæ sunt inter oppidum Salatha & arcem Bauske: Ab occasu à limitibus Pruffiæ, à Palanga ad ripas maris Baltici: A Septentrione mari Suecico, quod vulgò Schweedische Scheeren dicitur, versus Ducatus Finlandiæ fines adjacet.*

§. 3.

*Curlandiæ & Semigalliæ Ducatum Sacra Regia Majestas Poloniæ &c. est Dominus directus: Illustris vero Dominus Gothardus Kethlerus, Magister olim Ordinis Teutonici, qui nuuc Dux Curlandiæ & Semigalliæ, Dominus est utilis & Princeps feudatarius. Vocatur hæc provincia Cis-Dunensis, quia inter fluvium Dunam & fines Magni Ducatus Lithuaniae Samogitiæque interjacet. Incipit hic tractus à salso sive Baltico mari sursum sequendo fluvium Hilga, ascendendoque ad antiquos limites per Radzivilum olim inceptos & dispositos inter Samogitiam, Lithuaniam & Ruffiam ab una, Livoniaque ab altera parte, versus districtum Poloscensem ad Fluvium Dunam, & descendendo Dunam usque in mare salsum sive Balticum.*

## §. 4.

*Osiliam* insulam maritimam, Illustris *Dux Magnus Olstiniæ*, Serenissimi Regis *Daniæ* frater, ob-  
tinet.

## §. 5.

*Ultra-Dunenſis* provinciæ, tam Archi-Epiſcopatus & Dioceſeos *Rigenſis*, quam terrarum & diſtrictuum omnium, olim Magiſtri Ordinis Teutonici dominiorum, ſacra *Regni Majeſtas Poloniæ* &c. eſt *Dominus directus Hereditariusque*, ut & *Episcopatus* *Dioceſeosque Derbatenſis*.

## CAPUT IV.

*De Livoniæ arcibus, civitatibus  
& fluviis.*

## §. 1.

*In Curlandia.*

**N***euburgk*, arx circa fines Magni Ducatus *Lithuanicæ*.

*Fravvenburgk*, arx penes fluvium *Daune*.

*Schrunden*, arx penes fluvium *Alba*.

*Haſenpoth*, arx penes fluvium *Haſo*.

*Turben*, arx circa fluvium *Liffa*.

*Grebin*, arx penes fluvium *Liffa*.

*Alſſwangen*, arx circa lacum *Sfacke*.

*Windau*, arx & civitas penes fluvium *Aba*, eſtque ter-  
ritorium. *Gol-*

*Goldingen*, arx & civitas cum territorio.

*Sabel*, arx circa fluvium *Aba*.

*Candau*, arx circa fluvium *Aba*.

*Ducklum*, arx circa fluvium *Aba*.

*Kawerden*, arx circa fluvium *Ae*.

## §. 2.

*Diœceseos Curlandiæ arces.*

*Pilten*, arx circa fluvium *Aba*.

*Edwalen*, arx penes lacum *Edon*.

*Hasenpot*, arx aquis circumdata.

*Angermunt*, arx.

*Iruen*, Curia.

*Dondangen*, arx.

*Neubaus*, in finibus Magni Ducatus Lithuanicæ arx.

*Ambothen*, arx in finibus Magni Ducatus Lithuanicæ.

*Dalsse*, arx.

*Sacke*, ad ripas maris Baltici arx.

## §. 3.

*Semigalliæ provinciæ civitates & arces.*

*Duppelin*, arx & civitas ad fluvium *Bresz*.

*Mittaw*, arx optima & civitas circa fluvium *Ae*.

*Bauske*, arx & oppidum circa fluvium *Memel*.

*Selburg*, arx circa fluvium *Duna*.

## §. 4.

*Osiliæ maritimæ Insulæ, civitates & arces.*

*Arensburg*, arx & civitas districtus *Wycke*, olim  
Episcopatus fuit.

*Sonneburg*, arx & civitas ditissima.

## §. 5.

*Rigenfis Archidiœceſeos arces & civitates.*

- In civitate Rigenſi, Curia* Archi-Epiſcopalis.  
*Uxkul*, arx deſolata circa fluvium Duna.  
*Lenewarth*, arx penes fluvium Duna.  
*Kokenhauſen*, arx optima & bene munita cum civitate circa fluvium Duna ex una, & altera parte circa fluvium Breſſe.  
*Creuzburg*, arx, ex una parte adjacet fluvio Dunæ, ex altera fluvio Ermes.  
*Landon*, arx circa fluvium Ermes.  
*Lawon*, curia penes inſignem lacum Lawon dictum.  
*Sesſwegen*, arx.  
*Schwanneburg*, arx circa lacum Schwor.  
*Marienhauſen*, in medio lacu arx poſita.  
*Serwen*, arx.  
*Runeburg*, arx circa fluvium Ae.  
*Schmilten*, arx.  
*Lemſel*, arx & oppidum.  
*Treiden*, arx circa fluvium Ae.  
*Bewalg*, arx circa fluvium Breſze.  
*Wanſel*, Curia.  
*Salis*, curia circa ripas maris Baltici.

## §. 6.

*Capituli Archidiœceſeos Rigenſis arces.*

- Dalen*, arx in medio fluvii Duna.  
*Cremon*, arx circa fluvium Ae.  
*Soczël*, arx penes fluvium Berſſe.  
*Nevehof*, curia.

## §. 7.

*Arces Nobilitatis Archidiocæseos Rigensis.**Mayan, arx.**Ropp, arx.**Rosenbech, arx.**Perckel, arx.**Hochrosen, arx.**Berson, arx.**Erle, arx.**Kalczenaw, arx.*

## §. 8.

*Terrarum & Districtuum Ultra-Dunensium olim  
Magistri Ordinis in Livonia arces, civitates &  
fluvii sunt.**Arx & civitas Riga, in ostio maris Baltici sita, cir-  
ca fluvium Duna, ibi Emporium est celebra-  
rimum.**Dunemunda, arx optima in ostio maris.**Kircholm, arx penes fluvium Duna.**Ascherad, arx circa fluvium Duna.**Dunenburg, arx & territorium circa fluvium Duna,  
in finibus Magni Ducatus Lithuanicæ.**Rositen, arx & civitas, cum territorio, aquis ex  
utraque partibus circumdata.**Luczen, arx & civitas cum territorio ad fluvium  
Luno.**Marienburg, arx & territorium insigne, arx in me-  
diate lacus locata & extracta extat.**Trikaten, arx & territorium circa fluvium Ae.**Nevemul, arx circa fluvium Berffe.**Rodenpeis, arx penes fluvium Berffe.*

*Jurgeburg*, arx.

*Nittaw*, arx.

*Lemburg*, arx.

*Schvien*, arx.

*Segewalth*, arx circa fluvium Ae.

*Wolmer*, arx & civitas circa fluvium Ae.

*Wenden*, arx & civitas circa fluvium Ae.

*Loda*, arx circa fluvium Loe.

*Burthnick*, arx penes insignem lacum Bur.

*Sfirstet*, arx.

*Adffel*, arx circa fluvium Ae.

*Ermes*, arx circa fluvium Ferffer.

*Walck*, arx.

*Wolfarth*, arx.

*Arries*, arx.

*Sara*, arx.

*Gutmansbeck*, curia.

Hæ predictæ arces & civitates sistunt in districtu  
*Lethland* nuncupato, Ultra-Dunam.

§. 9.

*Districtus Æsthionia civitates & arces.*

*Fellin*, arx & civitas cum territorio, circa fluvium Velle.

*Pernaw*, arx & civitas cum territorio, in ostio maris sita.

*Oberpoln*, arx circa fluvium Ober.

*Lais*, arx.

*Terwesth*, arx circa lacum Ferscher.

*Talkofen*, arx.

*Karkus*, arx circa fluvium Ae.

*Helmetb*, arx.

*Ruyen*, arx.

*Oldepernau*, arx.

## §. 10.

*Tera Wickke arces hæ sunt :*

*Happsel*, arx penes litus maris Baltici.

*Lode*, arx.

*Leal*, arx.

*Kunckenkau*, arx circa fluvium Oregk.

*Margema*, arx.

*Maczel*, arx.

## §. 11.

*Nobilitatis arces.*

*Fikkel*, arx.

*Audder*, arx,

## §. 12.

*Terra Ferwen*, quæ habet in se circiter septem miliaria in longitudinem & in latitudinem sex, cum una arce dicta

*Weissenstein*, arx optima & bene munita.

## §. 13.

*Districtus Harrien civitates & arces.*

*Revel*, arx & civitas cum territorio ad littus maris Sueciæ.

*S Brigita*, monasterium virginum monialium.

*Padis*, monasterium monachorum.

*Fegfever*, arx ad fluvium Broe.

*Lell*, arx circa fluvium Lex.

*Kolk*, arx circa littus maris Baltici.

## §. 14.

*Episcopatus & Diocœseos Verbatensis in districtu Æstoniensi civitates & arces hæ sunt :*

*Derpt.* arx & civitas cum territorio ad fluvium Ferffer.

*Falckenau*, monasterium circa fluvium Ferffer.

*Werpeck*, arx circa fluvium Ferffer.

*Kiriempe*, arx circa fluvium Ferffer.

*Olentorn*, arx penes lacum Peibas.

*Odenpel*, arx.

*Ringen*, arx.

## §. 15.

*Nobilitates ejusdem arces :*

*Olsen*, arx.

*Cannelicht*, arx.

*Randen*, arx.

*Cunetal*, arx.

## §. 16.

*Districtus Wirlanth civitates & arces.*

*Narva*, arx & civitas, cum territorio, circa litus maris Baltici in finibus Russiæ Albæ, ab altera parte fluvio Berffe adjacet.

*Talspürg*, arx circa littus maris Suecici.

*Wesenburg*, arx.

*Borchholm*, arx circa insignem lacum.

*Neuschloss*, arx penes lacum Peibas, in finibus Russiæ, sive Moschoviæ.

## §. 17.

*Nobilitatis ejusdem arces.*

*Asch*, arx.

*Etcz*, arx.

## §. 18.

*Index arcium & civitatum per Livoniam vi expugnatarum & occupatarum.*

*Rex Sueciæ occupavit:*

*Revaliam* civitatem & arcem, circa littus maris Suecici sitam.

*Pades*, monasterium benè munitum.

*Hapsel*, arx in districtu *Wiccka*.

## §. 19.

*Magnus Dux Olfiniæ:*

*Oziliam*, insulam maritimam obtinet, quæ habet arces & civitates:

*Sonneburg*, arx & civitas benè munita.

*Arensburg*, arx & civitas ditissima.

## §. 20.

*Has arces Magnus Dux vi occupavit:*

*Lemsel*, arx.

*Helmeth*, arx.

*Ermes*, arx.

*Rugen*, arx.

*Karkus*, arx.

*Salus*, arx.

*Leal*, arx.

46. *De Livoniae arcibus,*

*Maczel, arx.*

*Sara, arx.*

*Gutmansbeck, curia.*

*Treiden, arx.*

*Hæ arces pertinent ad Sacram Regiam Majestatem  
Poloniae, quæ jacent in districtu Wicca & Li-  
vensi.*

§. 21.

*Nobilitatis districtus Livensis arces, quas Magnus  
Dux vi occupavit:*

*Porkel, arx.*

*Hochrosen, arx.*

*Rosenbeck, arx.*

*Maijan, arx.*

*Roppe, arx.*

*Nabbe, arx.*

*Wansel, arx.*

§. 22.

*Mosschus has sequentes civitates & arces vi expugna-  
tas occupavit:*

*Narva, civitas & arx optima beneque munita,  
circa mare Suecicum locata, ex altera parte  
fluvio Narve circumdata.*

*Neuschlos, arx.*

*Tolsburg, arx.*

*Kolk, arx.*

*Wesenburg, arx.*

*Borchholm, arx.*

*As, arx.*

*Etcz, arx.*

*Hæ arces sunt districtus Wirlandiæ:*

*Weis*

*Weissenstein*, arx optima & munita terræ Jerven  
quam totam *Mosschus* occupavit.

§. 23.

*Episcopatus & Diocœseos Derbatensis arces & civitates*  
*quas Mosschus vi expugnatas occupavit:*

*Derpth*, arx & civitas optima & munita *Episcopi*  
*Derbatensis.*

*Werpech*, arx.

*Falkenau*, monasterium munitum.

*Kiriempe*, arx.

*Oleniborn*, arx.

*Neubausf*, arx.

*Odempel*, arx.

*Hæ arces pertinent ad Episcopatum.*

§. 24.

*Nobilitatis Episcopatus arces.*

*Olfen*, arx.

*Cannelicht*, arx.

*Rauden*, arx.

*Kogethal*, arx.

§. 25.

*Terræ Æsthonie arces & civitates quas Mosschus oc-*  
*cupavit:*

*Vellin*, arx & civitas optima & bene munita,  
ubi *Magister Ordinis Guilielmus Furstenbergk*,  
à *Mosscho* obfidione & fame coactus fecit de-  
ditionem, postea captus *Mosscho* adductus est.

*Pernau*, civitas & arx optima ac benè munita  
in ostio maris *Baltici* sita.

Oberpolen, arx.

Terwest, arx, à Lithuanis quondam everſa, à  
Moſſcho vero iterum capta & exſtructa eſt.

Talkſon, arx.

Lays, arx.

Fegefeuer, arx.

Oldeperna, arx.

Tikkel, arx.

Lell, arx.

Kukenkan, arx.

Margema, arx.

Marienburg, arx optima &amp; bene munita.

Adzell, arx.

Wallk, arx.

Sfirſtet, arx.

Schmilten, arx.

F I N I S.

1302.\*

